

Johann Quistorp

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Quistorpius, D. & Theol. Facult. Senior. Ad exequias, Quas Filiolo suo desideratissimo Joanni Friderico a Nessen/ Moestissimi parentes paratas cupiant, omnes omnium ordinum Academia Cives invitat ...

Rostochii: Kilius, 1542 [i.e. 1642]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77049496X>


Druck Freier  Zugang




Qvistorp, J.,
in
J. F. à N e s s e n .

Rostock, 1642.

29





PROGRAMMA

QVO

RECTOR

Vniversitatis Rostochiensis

JOHANNES QVISTOR-

PIUS, D. & Theol. Facult.

Senior,

Ad exequias,

Quas

Filiolo suo desideratissimo



JOANNI FRIDE-
RICO à NESSÉN/

Mœstissimi parentes paratas cupiant,

omnes omnium ordinum Academia

cives invitat,

Ad horam mediam primam in Templo

Mariano.



ROSTOCHII,

Listeris NICOLAI KILII Acad. Tutor.

ANNO dno 16 XLII.

36.



Ugetis moestissimi parentes, Tu
eximie & præstantissime Vir,
Dn. FRIDERICO von Nessen /
& tu DOROTHEA von Santzen /
foemina lectissima, filioli vestri JO-
ANNIS FRIDERICI unici, non
speratum obitum, nec immeritò;
Natura hoc vos docet, quam nec
sanctissimi, Christo per fidem inser-
ti, exuunt. Filios suos sublato, Jo-
sephum Patriarcha Jacobus, Absolone-
nem degenerem quamvis, patris &
regno & vitæ insidiantem, David, la-
crymis & querimonijs vehementi-
bus

bus prosequuntur. Quis vobis hoc,
tristissimi parentes, vitio vertere
poterit, cum paria his vos facere
cernit? At ut & cum iisdem luctui
modum statuatis, Christianorum
est. Sublatum scitis, sed & eundem
olim, in universæ carnis resurrectio-
ne, redditum vobis iri, non igno-
ratis. Ut illud in mœrorem vos
conjecit: Ita hoc, luctui ut modere-
mini monet. Qui sementem terræ
committit, jacturam illius doleret,
nisi spem eam foveret, fore ut cum
fœnore hanc reciperet. Et vos
Christi sanguine subactum semen,
terræ committitis, reddetur vobis,
quando voce suâ omnipotente ci-
neres nostros emortuos vitæ mor-
tisq; Dominus in clamabit: *Surgite mor-
tui, venite ad iudicium.*

ad

N 2

Aposto-

Apostolo loquar; corpus cum corruptione, suscitatur cum incorruptione: seritur foedum, suscitatur potens; seritur corpus animale, suscitatur corpus spirituale. Hæc de filiolo vestro terræ committendo exspectare habebitis. Horum consideratio vos meritò à nimio luctu avocabit. Sed cur ego hæc & alia vobis, quibus ea notissima sunt, refero? non tamen possum non monitum Paulinum, quod nobis omnibus inculcat, repeterere. *De ijs, qui obdormiverunt, ne contristemini sicut reliqui, qui spem non habent.* Huic si & vos accommodaveritis, de quo nulli dubitamus, ut Christianos decet in hoc filioli vestri discessu vos geretis. Nos autem, qui nobis validi videmur, qui longa sæpè vivendi tempora nobis

bis promittimus, in hunc infāntem
ad modum sublatum, iut ueamur, ani-
mi oculos in illum defigamus. Si
hæc fiunt in ligno viridi, quid fiet in
arido. Ita vivamus, ut & horis sin-
gulis mortem, & quidem illam
mortem expectemus, quæ nobis vi-
tæ melioris sit initium. Emortuus
noster, ut hoc mori demus, hanc
mortalem vivere vitam cœpit Anni
superioris millesimi, sexcentesimi,
quadragesimi primi, decimo tertio
die Julij. Debet eam, post Deum,
PATRI eximio & præstantissimo Vi-
ro Dn, FRIDERICO von Nessen /
Juris Doctorando, MATRIDORO-
THEÆ von Sanitz / foeminæ hone-
stissimæ & primariæ. Avo paterno,
viro Amplissimo & Consultissimo
Dn. HAJONI von Nessen / J. U.
N 3 Docto-

Doctōri, in hāc Universitate Professore, & Illu-
strissimorum ac Celsissimorum Principum
Megapolitanorum Cancellario gravissimo,
Avia paternæ ANNÆ Schönermarcken/
matronæ pietate, & omnibus, quæ hunc se-
xum commendatissimum reddere possunt,
virtutibus præstantissimæ. *Avo* materno,
JOHANNI von Sanitz / ex nobili Sanitzia-
norum in Marchiâ prosapia genus ducenti,
Senatori Gustroviensi prudentissimo, *Avia*
maternæ DOROTHEÆ Hagemeisters / Ex
primariâ Hagemeisteriorum, quæ Gustrovij
est, familiâ ortæ. Conceperant de filiolo suo
parentes illam spem, eum, si vitam ipsi in-
dulset Deus, majorum virtutibus æmu-
lum, eorundem vestigiis institurum. Verum
præter expectationem hac suâ spe frustra-
tur. Corripuit filiolum hunc septimo hu-
jus mensis Martij die post decimam anteme-
ridianam apoplexia, per horas triginta duas,
per intervalla recursantem, expertus est, do-
nec tenelli corporis viribus fractis, Christo
animulam, à quo eam acceperat; reddidit. Si
quod res est, fateri volumus, rectè cum illo a-
ctum esse affirmabimus, cui mortalem hanc vi-
tam cum immortali tam citò permutare licuit
Decl-

Declinavit ille migratione hac, non solùm illas, quibus omnes, quantisper in hac miseriarū valle versamur; obnoxij sumus, labores, morbos, dolores, misérias, sed & illas, quæ nos, premunt, & nostris cervicib9, impendent, calamitates. Vos parentes mœstissimi, ita divū Hieronymū, paucis verbis mutatis, præeuntem, vos invicem compellate: quantum lucrum filiolo nostro est mori, quoniam vivere deinceps ipsius Christus erit: Ecce, terrestris domus hujus habitationis dissolvitur, ut alia succedat, non manu facta habitatio in cælis æterna: Ecce quod mortale est, vestimento exvitur, ut æterno induatur: huc usque peregrinatus est, jam redit ad Patriam: Ecce portum attingit, quam tanto Seniores desideramus desiderio. Ecce de tenebris ad lucem, de periculis ad securitatem, de prælio ad virtutem, de fæto ad odorem suavissimum vehitur. Verè hic vivens mortuus fuit, & jam verè vivificatur. Vita mundi non vita, sed mors, vita fallax, vita onusta tristitijs, imbecillis & umbratica, vita mendax. O Mors dulcis & jucunda, non certè Mors, quæ vitam veram largiris, quæ fugas febres & vulnere, famem extinguis & sitim. Hæc vos ô parentes. At nos Academia cives
in de-

in denatum intuentes, omnibus horis, omnibus momentis ita nos componamus, ne nos improvidos mors occupet.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unã

Omnia sub leges mors vocat atra suas.


Quãq; ruit, furibunda ruit, totumq; per orbem


Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Cæterum quum hodierno die horã Mediã primã in templo Mariano iusta emortuo persolventur, omnes Academiã cives hortamur, ut tum propter spem beatam futuræ resurrectionis, tum in gratiam honestissimæ familiæ, frequenti comitatu funus prosequantur, & beatam ex hac vita emigrationem meditentur P.P. Rostochij XI. Martij

Anno 1642.







bus prosequuntur. Quis v
tristissimi parentes, vicio
poterit, cum paria his vo
cernit? At ut & cum ijsde
modum statuatis, Christi
est. Sublatum scitis, sed &
olim, in universæ carnis res
ne, redditum vobis iri, m
ratis. Ut illud in mœro
conjecit: Ita hoc, luctui ut
mini monet. Qui sement
committit, jacturam illius
nisi spem eam foveret, for
fœnore hanc reciperet.
Christi sanguine subactur
terræ committitis, reddet
quando voce suâ omnipo
neres nostros emortuos v
tisq; Dominus in clamabit:
Qui, venite ad iudicium. Serit

N 2

